



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Et primo, vtrum beatitudo sit aliquid increatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

Et 4. contra
ca. 7. q. 17. &
c. 54. E. op.
3. ca. 108. &
264. Et opu.
30. li. 1. c. 8. &
9. Pl. 21.
p. 4. par.
1. aliquantu
lum ante fi
nem.
¶ q. 77. ar. 7.
& 108. artic.
3. & q. 111.
* li. 8. Phyl.
tex. 17. 10. 2.

† esp. 26. in
prin. to. 3.

D. 752.
d. 28. 293

creato. Dicit enim Diony. 4. c. de di. no. * qd diuina sapientia coniungit fines primorum, principijs secundorum: ex quo potest accipi, qd summum inferioris naturae sit attingere infimum naturae superioris: sed summum hominis bonum est beatitudo. cum ergo angelus naturae ordine sit supra hominem, vt in primo habitum est, ¶ videtur quod beatitudo hominis consistat in hoc, quod aliquo modo attingit ad angelum.

¶ 2. Praet. Vltimus finis cuiuslibet rei est in suo opere perfecto, vnde pars est propter totum, sicut propter finem: sed tota vniuersitas creaturarum, quae dicitur maior mundus, comparatur ad hominem, qui in 8. Phyl. * dicitur minor mundus, sicut perfectum ad imperfectum. ergo beatitudo hominis consistit in tota vniuersitate creaturarum.

¶ 3. Praet. Per hoc homo efficitur beatus, qd eius naturale desiderium quietatur: sed desiderium hois nō extenditur ad maius bonum, quam ipse capere potest. cum ergo homo non sit capax boni, quod excedit limites totius creaturae, videtur qd per aliquod bonum creatum homo beatus fieri possit, & ita beatitudo hominis in aliquo bono creato consistit.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit 19. de ciui. Dei. ¶ Vt vita carnis, anima est: ita beata vita hominis, Deus est, de quo dicitur Pl. 143. Beatus populus, cuius Dominus Deus eius est.

RESPON. Dicendum, qd impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato. Beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum, alioquin non esset vltimus finis, si adhuc restaret aliquid appetendum. Obiectum autem voluntatis quae est appetitus humanus, est vniuersale bonum sicut a obiectum intellectus est vniuersale verum: ex quo patet, qd nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum vniuersale, quod non inuenitur in aliquo creato, sed solum in Deo: quia omnis creatura habet bonitatem participatam, vnde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundum quod dicitur in Psal. 102. Qui replet in bonis desiderium &c. In solo igitur Deo beatitudo hominis consistit.

AD PRIMUM ergo dicendum, qd superius hominis attingit quidem infimum angelicae naturae per quandam similitudinem, non tamen ibi sistit, sicut in vltimo fine, sed procedit vsq; ad ipsam vniuersalem fontem boni, qui est vniuersale subiectum beatitudinis omnium bonorum, tanquam infinitum & perfectum bonum existens.

AD SECUNDUM dicendum, qd sit totum aliquod non sit vltimus finis, sed ordinetur ad finem vltiorem: vltimus finis partis non est ipsum totum, sed aliquid aliud. Vniuersitas autem creaturarum, ad quam comparatur homo, vt pars ad totum, nō est vltimus finis: sed ordinetur in Deum, sicut in vltimum finem. vnde bonum vniuersi non est vltimus finis hominis, sed ipse Deus.

AD TERTIUM dicendum, qd bonum creatum nō est minus qd bonum, cuius est homo capax vt rei intrinsecae & inhaerentis: est tamen minus qd bonum, cuius est capax vt obiecti, quod est infinitum: bonum autem quod participatur ab angelo, & a toto vniuerso, est bonum finitum & contractum.

QVAESTIO III.

Quid sit beatitudo, in octo articulos diuisa.



DEINDE considerandum est quid sit beatitudo, & quae requirantur ad ipsam.

CIRCA primum quaeruntur octo.

- ¶ Primo, Vtrum beatitudo sit aliquid increatum.
- ¶ Secundo, Si est aliquid creatum, vtrum sit operatio.
- ¶ Tertio, Vtrum sit operatio sensitiuae partis, an intellectiuae tantum.
- ¶ Quarto, Si est operatio intellectiuae partis, vtrum sit operatio intellectus, an voluntatis.
- ¶ Quinto, Si est operatio speculatiui intellectus, aut practici.
- ¶ Sexto, Si est operatio intellectus speculatiui, vtrum consistat in speculatione scientiarum speculatiuarum.
- ¶ Septimo, Vtrum consistat in speculatione substantiarum separatarum, scilicet angelorum.
- ¶ Octauo, Vtrum in sola speculatione Dei, qua per essentiam videtur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum beatitudo sit aliquid increatum.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod beatitudo sit aliquid increatum. Dicitur enim Boet. in 3. de consol. * Esse Deum ipsam beatitudinem, necesse est confiteri.

¶ 2. Praet. Beatitudo est summum bonum: sed esse summum bonum conuenit Deo. cum ergo nō sint plura summa bona, videtur quod beatitudo sit idem quod Deus.

¶ 3. Praet. Beatitudo est vltimus finis, in quem naturaliter humana voluntas tanquam in finem tendit: sed in nullum aliud voluntas tanquam in finem tendere dicit nisi in Deum, quo solo fruendum est, vt Aug. dicit. * ergo beatitudo est idem quod Deus.

SED CONTRA. Nullum factum est increatum: sed beatitudo hominis est aliquid factum, quia secundum Aug. 1. de doc. Christ. * Illis rebus fruendum est, quae nos beatos faciunt. ergo beatitudo non est aliquid increatum.

RESPON. Dicendum, qd sicut supra dictum est, * finis dicitur dupliciter. Vno modo ipsa res, quam cupimus adipisci, sicut auaro est finis pecunia: Alio modo, ipsa adeptio vel possessio, seu vsus, aut fructio eius rei quae desideratur: sicut si dicatur, quod possessio pecuniae est finis auari, & frui re voluptuosa est finis intemperati. Primo ergo modo, vltimus hominis finis est bonum increatum, scilicet Deus, qui solus sua infinita bonitate potest voluntatem hominis perfecte implere. Secundo autem modo, vltimus finis hominis est creatum aliquid in ipso existens, qd nihil est aliud quam adeptio, vel fructio finis vltimi: vltimus autem finis vocatur beatitudo. Si ergo beatitudo hominis consideretur quantum ad causam, vel obiectum, sic est aliquid increatum: si autem consideretur quantum ad ipsam essentiam beatitudinis, sic est aliquid creatum.

AD PRIMUM ergo dicendum, qd Deus est beatitudo per essentiam suam: nō. n. per adeptionem aut participationem alicuius alterius beatus est, sed per essentiam suam. Homines autem sunt beati, sicut ibidem dicit Boet. * per participationem: sicut & dii per participationem dicuntur ipsa autem participatio beatitudinis finem quam homo dicitur beatus, aliquid creatum est.

AD SECUNDUM dicendum, qd beatitudo dicitur esse summum hominis bonum, quia est adeptio vel fructio summi boni.

AD TERTIUM dicendum, qd beatitudo dicitur vltimus finis per modum, quo adeptio finis dicitur finis.

ARTI-

* r. ar. i. 34. q. cor. 49. q. 2. Et ar. 49. Et q. 9. l. c. 1. p. ca. pr.

Inf. d. 16. ar. 3. & 2. di. 49. q. 1. ar. 2. q. 1. cor. * Prosa 10. cir. med.

* li. 1. de doc. Christ. cap. 4. 5. & 21. tom. 3. * lib. 1. c. 9. in prin. tom. 3.

* q. 1. ar. 8. & q. 3. ed. ar. 7.

* loco disto

* ead. profa. 10. lib. 3. de conio.

* loco conio.

* q. 2.